



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XII. Gregorii Papae I. Ad Pavlvm Episcopvm Neapolitanvm.
Committit ei ecclesiam Neapolitanam, scribitque de persona Petri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

riculum facilius declinare. Propterea te Ioannem fratrem, coepiscopumque nostrum Vellitrensis ciuitatis, sedemque tuam in loco quondam Harenata, ad sanctum Andream apostolum, præcipimus exinde transmigrari, quantum & ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinum solennium festa disponas.

EPISTOLA XII.

GREGORII PAPÆ I.

AD PAVLVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Committit ei ecclesiam Neapolitanam, scribitque
de persona Petri.

Gregorius Paulo episcop.

Ad hoc fraternitatem tuam Neapolitanæ ecclesiæ ad præsens præesse constitui, vt quosque potuisses, sua-
foria ad Deum prædicatione conuerteres. Et dum tota te
oporteat hoc intentione peragere, priusquam hunc Do-
mini fructum opereris, reuerti festinas, petisque a me vt
celeriter eamdem debeam ecclesiam ordinare, dum meus
non sit animus in hac re otiosus. Sed quia vtilitates eius
summa cupio firmitate vallare, diuturna de hoc necesse
habeo deliberatione tractare, vt eas digna possim ordina-
tione, Christo reuelante, disponere. Interea ergo frater-
nitas tua ita inuigilare animarum lucris studeat, vt iudi-
cium quod de te habeo operationis tuae roboretur effe-
ctu. De persona vero Petri diaconi quæ scripsisti, omnia
mihi Theodorus vir consularis nunc indicauit. Et ideo
postquam tibi adhærere, & ecclesiasticis eum vtilitatibus
tua testificatione studere cognoui, nullius debet aduersi-
tatem vel inimicitias formidare, sed quanto sibi alios in-
uidere perpendit, tanto vigilantius, vt ei nihil nocere
valeant, in vtilitatibus ecclesiæ, & Dei seruitio perseue-
ret. Fraternitas autem tua pro eius persona post hoc non
debet esse suspecta, quia apud me nulla subreptio locum
inueniet.